36

J. III. 36.
a–b

Die III. Iunij.

OFFICIVM IN FESTO
S. ERASMI
Epiſcopi & Martyris Duplex ad Libitum.

Omnia de Comm: vnius Martyris, præter ea quæ ſequuntur.

ORATIO.

DEVS, cuius virtute B. Eraſmus Martyr & Pōtif: multa tormentorū genera ſuperauit, fac nos quę ſumus, eius interceſſione vniuerſas inſidias inimicorum noſtrorū, viſibiliū, & inuiſibilium, cū gaudio ſuperare & in Chriſto bonis operibus abundare, Per Dominum &c.

Lect: 1 Noct: de Script: occur: Lect: 2 Noct.

Lectio iv.

IN Antiochia perſecutione Chriſtianorum, ſub Diocletiano durante, Eraſmus Antiochiæ Epiſcopus, eremum petijt: ibiq́; ſeptem annis habitans circa montem Libanum, multa miracula per Dei virtutem faciebat. Eſca ei de cælo per coruum ſingulis diebus ferebatur. Angelorum colloquio ſæpius conſolatus. Diuerſum ferarum genus veniebat, & proſternebat ſe ad veſtigia, adorantes eum Et facta eſt vox de cœlo ad eū; Eraſme deſcende ad Ciuitatē tuam. Acquieuit monitis. Sedem ſuam repetiit, vbi multa miracula in nomine Domini Noſtri IESV Chriſti faciens, pluriſmos ad idem conuertit, & publicè baptizauit. Quibus auditis Diocletianus S. captiuat. Dijs ſacrificare iubet, blanditijs inducit, & comminationibus impellit. Contradicentē plumbatis in lateribus cædi præcipit. Ipſe verò oculis ad cœlum innixus, Deo gratias referebat.

Lectio v.

QVem iratus Imperator, iubet cædi fuſtibus: poſt carceri traditur: Lorica demum candenti indutus: & iterum in caldari pleno ſulphure, pice, reſina, oleo, cera, & plumbo. Omnibus in ſimul feruentibus immittitur, & ſic ſuper ignem copioſum diu coctus, cum ingenti omnium miraculo illæſus euaſit. Poſt tot ſupplicia Angelus eum conſolatur, & vt conſtan

ſtan

ſtans, ac forti ſit animo admonet. Deinde ligatur ad Statuam, ſagittis ac ſubulis ferreis impetitur: Aculei ſingulis digitorum ſuorum vnguibus miſerabiliter imprimuntur. Ambabus tandem manibus ſurſum expanſis ligatur ad ſtipitem, vbi ventre eius perforato omnia viſcera crudeliter extrahunt.

Lectio VI.

VErùm in tantis pœnis precatus Dominum, pro cuius nomine hæc omnia patienter pertulit, vt quicunq; paſſionem eius deuotè recoleret, vitæ neceſſaria cum honoris plenitudine poſſideret; Illico vox de cælo audita eſt; Fiet vt petijſti. Et mox Deo Creatori ſuo animam commendans expirauit. Et ibidem multi cæci viſum, ſurdi auditum, muti loquelam, claudi greſſum, cum ſumma omnium admiratione receperunt. Quod cum multi quibus inerat mens ſanior, viderent, eiectis idolis omnibus, & diabolicæ impietatis erroribus abdicatis, iugum Domini ſuaue, & onus eius leue, per ſacræ fidei fundamentum, & Baptiſmatis Sacramentū ſuſceperunt. Ipſe verò Martyr inuictiſſimus, à nouiter cōuerſis cum honore debito ſepelitur. Paſſus die Dominica: quâ & viſa eſt anima eius tanquam nix candida, dum ab Angelis, cum magna gloria portaretur in cælum.

In tertio Nocturno de Homil: in Euang: Si quis vult venire poſt me. *Si extra tempus Paſchale hoc Feſtum venerit. Si in tempore Paſchali dicitur Homil: in Euangel.* Ego ſum vitis vera. *de communi Martyris. Miſſa extra tēpus Paſchale,* Sacerdotes *Tempore Paſchali.* Protexiſti me &c.

3969
1b
11 Tothudoie

J